

# DIUI AM

515

BROSII MEDIOLANENSIS EPISCO-

pi commentarij in epistolam beati Pauli  
ad Thessalonicenses II.

## ¶ PRAEFATIO.

**Q**uoniam in prima epistola ad Thessalonicenses data, inter cætera etiã de aduentu domini quædam scripsit, & de resurrectione sanctorum: Nunc aliam scribit ad hos in qua significat licet obscure, nequ enim possit aperte scribere, de abolitione regni Romani, & de antichristi apparentia & damnatione, & de quorundam fratrum inquietudine.

## ¶ CAPVT PRIMVM.

**P**AVLVVS & Sylvanus & Timotheus ecclesie Thessalonicensium in deo patre nostro & Christo Iesu, gratia uobis & pax à deo patre & domino Iesu Christo.) Solennibus uerbis scribit ad eos. Solito enim more sermonum capit continetur epistolæ, & idem ipsi tres sunt quorum nomine scribitur sicut & prima epistola. ¶ Gratias agere debemus deo semper de uobis fratres sicut dignum est, quoniam superexcreuit fides uestra & multiplicatur charitas uniuscuiusque omnium uestrum in uos inuicem.) Deo se debitores de horum profectu in gratiarum actione profitentur, & ut non qualescunque esse debent ostenderet, sicut dignum est ait, ut pro tam infinito dono satis magnas gratias referendas deo testarentur. Post acceptam enim primam epistolam meliores esse quæ fuerant perstiterunt, ita ut in eo copiosi & abundantes uiderentur, quod post domini & dei deuotionem habemus mandatum, ut diligamus nos inuicem. ¶ Ita ut nos ipsi in uobis gloriemur in ecclesijs dei pro patientia uestra & fide, in omnibus persecutionibus uestris & pressu-

Kk ris

ris quas sustinetis in exemplum iusti iudicij dei, in hoc ut digni habeamini regno dei pro quo & patimini.) **Gloriam esse suam in horum conuersatione & persecutione toleranda testatur, intantum ut apud cæteras ecclesias exempla eorum proferantur, ut imitatione eorum crescant in deuotione passionum pro Christo, ut mereantur consequi quæ promissa sunt sanctis in die iusti iudicij dei, cuius amore mundum spernere non dubitarunt. Ipse enim pressuræ exempla sunt futurorum meritorum in his qui patiuntur ad gloriam, in illis autem qui persequuntur ad perditionem.** ¶ **Siquidem iustum est apud deum retribuere eis qui uos deprimunt pressuram, & uobis qui pressuram sustinetis requiem nobiscum, in reuelatione domini Iesu de cælo cum angelis uirtutis eius in igne flamme dantis uindictam in eos qui non nouerunt deum, & in eos qui non obaudiunt euangelium domini nostri Iesu Christi, qui pœnas soluent in interitum æternum a facie domini & gloria uirtutis eius.)** **Quoniam exemplum iusti iudicij dei apparere dicit, siue in bonos siue in malos, idcirco subsecutus ait: Siquidem iustum apud deum, ut reddat unicuique secundum opera sua. Quid tam iustum ut qui in seculo bonos deprimunt & extorres faciunt persecutionibus, in futuro eadem patiantur quæ faciunt, illi autem ut sint in requie cum cæteris sanctis, qui de magna tribulatione ueniētes regnum accipient æternum in aduentu domini de cælo, cum cœperit uenire cum cælesti exercitu suo, & ministro igne ad dandam uindictam in paganos qui ignorant deum patrem esse Iesu Christi, & Iudeos qui dicunt se deum scire, non credunt euangelio Christi quod dedit illi pater deus ut traderet seruis suis. Quos omnes præsentia domini & gloria maiestatis eius ignis exuret, ut debitas reddant pœnas interitus in æternum, semper sentientes non tamen penitus deficientes, ut ipsa pœna illos quodammodo generet semper quo consumatur.** ¶ **Cum uenerit clarificari in sanctis suis & mirificari in omnibus qui crediderunt, quia fidem habuit testimonium nostrum super uos in die illa aduentus domini.)** **Duplicem continet sensum. Adueniet enim punire malos & glorificare bonos. Ipse enim clarus & mirabilis**